



SACROSANCTA
 CONCILIA
 OECUMENICA
 COMMENTARIIS ILLUSTRATA
 AD SANCTISSIMUM PATREM
 BENEDICTUM XIV.
 PONTIFICEM MAXIMUM
 TOMUS II.

*Quatuor alias Oecumenicas Synodos comprehendens,
 Constantinopolitanam secundam, tertiam, Nicænam
 secundam, & Constantinopolitanam quartam*

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO.



R O M Æ. MDCCXXXIII.

Ex Typographia Antonii de Rubéis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.



BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO

SALUTEM IN DOMINO, ET FELICITATEM PLURIMAM
JOSEPHUS CATALANUS D.



*Ponte sua, imo suo jure, BEATISSIME
PATER, alter Tomus Commenta-
riorum in alia quatuor Concilia Oecumenica SAN-
CTITATI TUE se offert. Quum enim primus Cle-
a 2 men-*



HISTORIA

CONCILII QUINTI OECUMENICI

II. CONSTANTINOPOLITANI.



Una adversus Catholicam Fidem, quam variis laborantem procellis ab hereticorum turba exaltatis, Chalcedonensis Synodus 17. Oecumenica providentissimis decretis tranquilla pace donaverat, eursum, exorta esset tempestas; inde nata est

ocasio, ut generalis quinta Synodus, secunda vero Constantinopolitana cogerneretur, tum ut tria damnaret Capitula, quibus Nestoriani venenum suum diffundebant, & Acephali Eutychis defensores memoratam Synodum Chalcedonensem impugnabant, tum etiam, ut quosdam Origenis errores confunderet, quos Monachi quidam, Nonnus Eusebius, ac Leontius e nova Laura in Palaestina sito Monasterio erascentes per Orientem disseminabant, favente illis Theodoro Cesareo Episcopo, secunda Acephalo, dilectoque, ac familiari Principum, ut notat Liberatus Carthaginensis Diaconus in suo Breviario. In hac vero haeresi collata perfidia praesertim Eutychiana, quae regnante Religiosissimo Principe Marciano, in multorum animis metu potius, quam voluntate repressa latebat, post illius obitum in tantam prorupte audaciam, ut per omnem Asiam, & vicinas Europae regiones omni furore, ac strage grassata sit, tresque Orientis Patriarchatus, Alexandrinum, Antiochenum, & Constantinopolitanum sibi concusserit.

II. Ergo, ut rem alius repetimus, Alexandriae audito statim obitu Marciani Imperatoris, qui dum viveret, Chalcedonensem Fidem, & legibus, & armis, Arme, atque egregie tutatus fuerat, ea soluti formidine, quocumque Dioscoro fa-

vebant, caput sacrilegum extulerunt, secessissimum suum ducem, qui erat unus ex ipsis, Timotheum cognomento Alurum olim e Mossico creatum Presbyterum Alexandrinum, in Pontificium Thronum Alexandrinum intruserunt, ac post paucos dies sanctissimum Proterium, qui Chalcedonensis Concilii Decreto in locum deturbati ex sede Dioscori successus fuerat, intra ipsam Ecclesiam, atque in ipso Baptisterio latitantem, ipsoque die, Caesae Domini occiderunt, corpusque ejus per universam Civitatem crudeliter trahens circumstratim dividentes, ac more cinum interiora ejus degustantes, reliquam corpus igni, & cineres vento tradiderunt. Ac post haec idem Timotheus Urbem Alexandriam, totamque Aegyptum severissimis Orthodoxorum, omnis generis, sexus, & conditionis persecutionibus, rursusque, ac personarum sacrarum profanationibus implevit, in ipsum quoque Romanum Pontificem, necnon Constantinopolitanum, & Antiochenum, Episcopos, cunctosque Chalcedonensis Concilii defensores anathematis poenula intexit. Quae quidem omnia, aliaque ejusmodi fassus pertractata habentur in literis Orthodoxorum Aegyptiorum ad Leonem Imperatorem, qui Marciano in imperio successerat, meminitque eorumdem Liberatus Diaconus in suo Breviario, Cap. xv., & Theodorus Lectior in Collectaneis, Lib. i. qui de eodem Timotheo & hoc amplius refert, cum, antequam occideretur Proterius, nigra veste indatum cellas Monachorum circumire solitum, nunquam se ex administratoris spiritibus asserere, ad hoc missum, ut cunctis ediceret, ne cum Proterio communicarent, sed Timotheum Alurum Episcopum designarent.

III. Factus Alexandriae Pseudoepiscopus Alurus, explicari satis sequit, quam crudelissimum in Catholicos sevirerit, verum damnatus ab omnibus ubique Episcopis, pellitur tandem ab ipso Imperatore